

coelo delapsum crederent Decium, *conspēctus enim*, LIVIO 1) auctore, *ab utraque acie aliquanto augustior humano visu, sicut coelo missus, piaculum omnis Deorum irae, qui pestem ab suis averſam in hostes ferret.* Patris exemplum filius, ambitione haud minor parente, sequitur. Videt ille, se milites suos nulla vi perculſos sustinere posse, capit itaque se ipsum, patris exemplo, devovendi consilium, sed quanta ambitione ductus ceperit, ipse collige ex verbis Decii, 2) *Quid ultra moror, inquit, familiare fatum? datum hoc nostro generi est, ut luendis periculis publicis piacula simus. iam ego mecum legiones hostium maētandas Telluri ac Diis manibus dabo.* Accessit ad ambitionem interdum desperatio, sive summus formidinis gradus ex praesensione mali invicti conceptae. Rem Codri exemplo demonstratam dabo. Edocti erant Athenienses oraculo, eum exercitum in proelio, quod Attici cum Doriensibus proxime commissuri erant, superiorem fore, cuius rex ab hostibus interfectus fuerit. Codrus Atheniensium rex septuagenarius est, malum ab Atticis nisi eius interitu in hostes converti haud potest. Lubetne Codro se pro exercitu devovere? Negat. Sed Athenienses persuadent ei, *πειθασι Κόδρον ἐβδομηκοντῆτην ὄνηα ἔκοντα δέναι ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς πατρίδος* 3) Ille probe perspicit, si devovere se pro patria negare pergat, cives subdole acturos esse, ut ab hostibus circumveniat, et turpi prodicione pereat. Mortem itaque vitari ulterius haud posse videt, eligit igitur honestissimum, quod ipsi videbatur, mortis genus, et omni expectatione rerum meliorum abiecta, in hostes irruit, caditque. Quanta denique

1) LIVIVS lib. VIII. c. 9. 2) Idem lib. X. c. 28. 3) CONON ap. Photium Bibl. cod. CLXXXVI. pag. 438.